

angelicisque ornatibus plebs sacerdotalis compta procede-
ret, quaeue deo sacratarum confluentia uirginum do-
lis felleisque carentium, simplicitateque columbina pleniter ni-
tentium, qualis quamque laudabilis illarum sit sonus
quamque parilis illarum sit conuentus, quis habitus
quisue ipse sit incessus, nec stili officio nec uiua uoce
potis est explicare, Et quid de uictoriosissimi imperato-
ris referam gratulatione? Cui cuncta mundi clima-
ta colla subdendo inseruiunt, quique eo magis super
accumulata gloria merita gaudet, quo se deo donante
altiorem caeteris, praeminentem laetatur uniuersis, Sed ne
audientium aures diutina uerbositatis prolixitate pro-
traham, qualiter haec sacrosancta dedicatio ipso iubente
fuerit effecta paucis perstringam. Anno incarnationis
domini MXXI. Indictione IIII, VIII. Calend: Octob:
dominica die, Luna XIII. Anno uero Domini Heinrici
Secundi regnantis XX. Imperantis VIII, ipso praesen-
te cum coniuge imperatrice scilicet Cunigunda totiusque
regni, episcoporum ac optimatum conuentu, ab Arnul-
fo Halberstadensis ecclesiae episcopo dedicatum est hoc
templum, et altare supremum in honore sanctae et indi-
uiduae trinitatis, et sanctae Mariae matris domini, sanc-
tique Johannis baptistae, et sancti Petri principis apostolorum,
Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Dionysij et socio-
rum eius, ac Sancti Seruatij Confessoris. In hoc uero con-
tinentur reliquiae, Sancti Confessoris Seruatij, Sancti
Anastasij, S. Vitalis, S. Pantaleonis, Sanctorum Aqui-
lae Priscillae, S. Nicolai, digitus S. Marci euangelistae, S.
Pancratij, Mauricij et sociorum eius, S. Clementis, Cor-
nelij et Cypriani, S. Candidi, S. Stephani papae et martyris

Quedlinburger Annalen ad annum 1021: Beginn des Berichts zur Quedlinburger Kirchweihe im Dresdner Codex unicus (16. Jahrhundert). Dresden, Sächsische Landesbibliothek, Staats- und Universitätsbibliothek, Q. 133, fol. 40v.